



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

XXXIX. Vt non praesumant duo episcopi ordinare pontificem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

1. q. 1. Peti-  
mus.

uata forma disciplinae, non aestimabitur appetitus, si a vestra caritate modeste conuentus, recedere detrectauerit, cum fuerit suo contemptu & contumacia faciente, etiam auctoritate iudiciaria conuentus. Honoratus & Vrbanus episcopi dixerunt: Hoc enim omnibus placet. Ab vniuersis episcopis dictum est: Iustum est, Placet.

## XXXIX.

Afr. cap. 16.

Honoratus & Vrbanus episcopi dixerunt: Et illud nobis mandatum est, vt quia proxime fratres nostri Numidia duo episcopi ordinare praesumpserunt pontificem, non nisi a duodecim censeatis episcoporum celebrari ordinationes. Aurelius episcopus dixit: Forma antiqua seruabitur, vt non minus quam tres sufficiant, qui fuerint destinati ad episcopum ordinandum, propterea quia & in Tripoli forte & Arzuge interiacerent videntur barbarae gentes. Nam in Tripoli (vt asseritur) episcopi sunt quinque tantummodo, & possunt forte de ipso numero vel duo necessitate aliqua occupari. Difficile est enim, vt de quolibet numero omnes possint occurrere. Numquid debet hoc ipsum impedimento esse ecclesiasticae vtilitati? Nam & in hac ecclesia, ad quam dignata est sanctitas vestra conuenire, crebro ac pene per diem Dominicam ordinandos habemus. Numquidnam frequenter duodecim vel decem, vel multo minus adducere possum episcopos? Sed facile est mihi, duos adiungere meae paruitati episcopos vicinos. Quapropter cernit mecum caritas vestra, hoc ipsum obseruari non posse.